

Cur autem ex uobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Quum enim uadis cum ad aduersario tuo ad magistratum in uia, da operam ut libereris ab illo, ne forte pertrahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Dico tibi, non exibis inde, donec ultimum etiam minutum reddas. Postquam de predicatione disse- ruit, ignem que & gladium nominauit: quia uerisimile erat audientes turbari, non in- telligentes id quod dicebatur, inquit: quemadmodum aeris qualitates a quibusdam si- gnis cognoscitis, sic oportebat & meum aduentum cognoscere ex his quae dicuntur, & ex his quae a me fiunt. Etenim sermones mei demonstrant me contrarium uobis, & ope- ra similiter: nam uos quidem publicani & raptores, ego autem non habeo ubi caput re- clinem. Oportebat igitur uos sicut e nubibus coniectatis hymbrem, & ab austro aestu- ita & tempus huius mei aduentus probare & coniectare, quod non uenerim mittere pa- cem, sed hymbrem & turbationem. Nubes enim & ipse sum, & ab occidente humanae naturae uenio, quae prius fuit humilis, & magnam ex peccato caliginem habuit, sed & ue- nignem mittere & aestum facere. Auster enim sum, spiritus feruidus & frigiditati aquilonis contrarius. Quandoquidem & in Bethleem apparuit, quae est ad austrum sita. Et ubi haec dixit, docet eos & de laudabili pace. Quia enim ostenderat laudatum dis- sidium, ostendit & irreprehensibilem pacem, & inquit: Quum aduersarius rapuerit te ad tribunal, in uia da operam, festina & labora, hoc est omnes modos cogita, quomodo ab eo libereris. Vel aliter: Da operam, ut libereris ab illo, ne quando trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor proijciat te in carcerem, donec ultimum minutum reddas. Haec autem dicit dominus, exterrere per haec crassiores, & ad pacem faciendam cogens, sciens quod eos qui magis terrestres sunt metus damni & suppliciorum plus emendat, & propterea dicit haec. Intelliguntur autem haec & de diabolo, qui noster est aduersarius. Quum igitur in uia huius uitae sumus, demus operam, uirtutibus uacando, ut ab eo liberemur, & nihil commune cum eo habeamus, ne quando in futuro iudicio tra- dat nos iudici. Opera enim eius quae in hac uita facimus, illa tradunt nos iudici, & iudex nos tradit exactori, daemoni cuidam nos torquenti & affligenti, & postea punit nos do- nec & minorum peccatorum poenam luamus, & mensuram poenae impleamus. Nun- quam autem impleta est poenae mensura, semper ergo puniemur. Si enim in carcere ma- nebimus donec extremum minutum reddamus, & nunquam reddituri sumus, manife- stum quod aeternum sit futurum supplicium.

C A P V T X I I I.



Ad derant autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galilaeis: quod rum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum. Et respondens Iesus, dixit illis: Putatis quod hi Galilaei praecunctis Galilaeis peccatores fue- rint, quia talia passi sunt? Non dico uobis, immo nisi resipueritis, omnes si- militer peribitis. Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quod debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hiero- solymis? Non dico uobis, immo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Iudas Galilaeus, cuius & in Actis ipse Euangelista noster meminit, quum & ipse aliquantum do- ctus esset in lege, docuit & alios Galilaeos suo dogmati adherere. Docebat autem, nul- lum omnino hominem ferendum dominum dici, neque honore uel modestiae gratia, etiam regem ipsum. Vnde & multi ipsorum grauiter feriebant, qui & docebant neque a Mose constituta sacrificia offerenda, eo quod pro Caesare & Rhomanorum gente fiebant sa- crificia. Verisimile igitur Pilatum ob haec indignantem, iussisse occidi Galilaeos illos su- per sacrificia quae ab eis prohibebantur fieri pro Rhomanorum gente, & ita commisceri sanguinem eorum sacrificiorum sanguini. Annunciauerunt igitur quidam haec saluato- ri, ut aliqua ex parte pie facta, uolentes per hoc discere quid in eo sibi placeret. Putabant enim quidam illos iustissime passos, utpote peccatores & seditiosos, & irritantes Pilatum in odium Iudaeorum, eo quod urgebant Caesarem non appellandum: id quod in totius

E

Iudæorum gentis incommodum cedebat. Igitur saluator non negans eos esse peccatores, dicit non ipsos passos esse, quasi essent maiores peccatores ipsi qui nihil passi. Nisi enim & uos resipueritis, & à seditionibus intestina bella succedentes cessaueritis, & deū operibus placare festinaueritis, grauiora patiemini. Non oportet in preteritu pietatis suæ gloriam querere, & intestinas seditiones excitare. Porro turris quæ ceciderat in Silbæ, prælagium erat eorum quæ postea populo euentura erant. Turris enim totius ciuitatis figura est: at decem & octo illi, totius populi. Quum enim sub Tito ciuitas rueret, omnia populus in incredulitate permanens simul periit. Sit & hoc nobis in his quæ quotidie eueniunt admonitio: quidam in tentationes incidunt, nobis extra tentationem positus, ne nos sollicitudinē & metū ut iusti abijciamus, quasi tanquam iusti non simus obnoxij: sed ediuerso magis doceamur, quod in hoc puniantur illi, ut nos meliores efficiamur: quod si nos negligentes fuerimus, patiemur grauissima.

Dicebat & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatā in uinea sua, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio: succide illam: ad quid uel terram occupat? At ille respondens, dixit illi: Domine, sine illam & hoc anno, donec fodero circum illam, & misero stercus, & siquid fecerit fructum: sin minus, in posterum succides illam. Bona consequentia parabolam hanc iungit, postquam dixit, nisi resipueritis, peribitis, meritō & istam parabolam adiicit. Est igitur ficus, Iudæorum generatio, folia tantum amara faciens, & nullum fructum proferens. In uinea autem dei, stetit Iudaica uita. Paterfamilias autem Christus, uenit & quæsiuit fructum fidei, bonorum que operum in ea, ac non inuenit. Tribus autem annis uenit, per Moysen, per prophetas, & per seipsum: & quia non poenituerunt, à dilectione dei eos abse-
cui: non ultra enim gens domini & populus sanctus uocatur. In locum autem eius introductæ sunt gentes, quæ fructum facere ualent. Intelligitur & per ficum totum humanum genus: per patrem familias, pater & deus: per cultorē uero uineæ, filius dei, qui nobiscum peregrinatus est ut coleret, & purgaret uineam. Christus autem ficum illam, ut sterilem execari non sineret, dicens: Sine illam & hoc anno. Licet enim per legem & prophetas non fuerint facti meliores, & poenitentia fructum non fecerint, attamen me irritante meis doctrinis & passionibus, fortassis facient fructum obedientia: sin minus in posterum execabis illam, exectis illis à iustorum regione. Ex anno autem tertio, quæsi-

Genes. 3. tum in se fructum natura nostra non dedit. Primum enim in paradiso mandatum præ-
Exod. 32. uaricati sumus: deinde, quum daretur lex, uitulo facto, mutata est gloria dei in similitu-
Psalm. 105. nem uituli comedentis fœnum. tertio, dominus & saluator abnegatus est à dicentibus:
Ioh. 19. Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et unusquisque nostrum ficus est in uinea domini, in ecclesia scilicet: uel simpliciter dicendo, in mundo hoc plantata. Venit igitur deus quærens fructum, etsi inuenerit te absque fructu, iubet ut ex hac uita execēris: at cultor uineæ supplicat, ut tibi parcatur. Quis autē ille cultor uineæ: uel suus cuiusque custos angelus, uel & homo ipse: suæ enim uineæ quisque cultor est. Sape igitur quum in letales morbos, uel alia pericula incidimus: Sine o domine dicimus, etiam hoc anno & poenitentia agemus. Hoc enim significat fodere & mittere circa illam stercus. Foditur quippe anima, quando decutit temporalium curarū puluis, & alleuiat ipsa. Stercus uero circumponi signat feruorē, & seueritatē in uita uiliori, poenitentia scilicet, quæ ab omnibus cōtēnit. Quam-
do enim quis à gloria in uitam ingloriam se demittit propter salutē animæ, stercus circa animam mittere dicitur, ad hoc ut fructum faciat, siquidem fecerimus fructū: sin minus, non ultra relinquit nos in uinea illa, sed execat à mundo, ut ne frustra occupemus locum. Peccatorem enim quis uidens diu differrentem, offenditur, & peior fit, & sic inuenitur peccator, neque ipse fructum faciens, & alium quocumque impediens, ne fructum faciat. Quod si execetur ex hac uita, fortassis ij qui exectum uiderint, hoc animo secum perpendentes, mutabuntur & fructum facient. Tribus autem annis dicitur paterfamilias uenire ad ficū, fortassis propter tres leges, quas nobis dedit dominus: quæ sunt naturalis, legalis, & spiritalis. Oportebat sanè nos naturali lege commonitos fructum facere: nam
natura

natura docet quid facere oporteat: at quia in nobis naturalem inuenit inutilem, dedit & Moisaicam legem naturæ adiutricem: quæ quum & ipsa inueta est infrugifera propter nostram desidiam, addidit & spirituale. Vbi igitur tres illæ non meliorē reddiderint cuiuspiam animā, neque longanimitate & misericordia dei sit emendatior, tunc postea monere non ultra finitur: non enim sæpe procrastinationibus deo illuditur. Quid autem si per tres annos, tres ætatum status intelligas? Pueritiā, hoc est adolescentiam octo & decem annorum, uirilem, & tertiam eorum qui iam incipiunt fieri uetuli: quando igitur in tertio anno, hoc est senectā non damus fructus, & adhuc permittimur uiuere, ut adiciamus sterilius, uilem poenitentiae uitam propter Christū arripientes, & deinde si etiā tunc mentemur, non ultra nobis parcat dominus, ut ne frustra occupemus terram, & alios offendamus. Et hæc mihi expositio uidetur proposito textui consona.

Docebat autem in una synagogarum sabbatis, & ecce mulier quæ habebat spiritū infirmitatis annis decem & octo, eratque contracta, nec omnino poterat erigere caput: quam quum uideret Iesus, uocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, liberata es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat deum. Respondens autem princeps synagogæ, indignans quod sabbato sanasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo uenite, ut sanemini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrita, unusquisque uestrum sabbato nonne soluit bouem suum aut asinum à præsepī, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abraham quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto die sabbati? Et quum hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat super uniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. Morbus ille mulieri diabolus affligente acciderat, sicut & dominus dicit, quam alligauit satanas decem & octo annis. Nā fortassis propter peccata derelictam à deo puniuit satanas. Omnia enim mala humanis corporibus satan infert, quādo ei à domino permittitur. Quādoquidem nobis & ab initio author fuit, ut ab incorruptione, in qua cōditi fuimus, excideremus, & infirmo passionumque capaci corpori alligati essemus. Hoc enim intelligimus per pelliceas tunicas. At dominus uoce deo dignissima, potestateque plena, mulieris istius morbum fugat. Imponit autem ei & manus: ut discamus quod dei sermonem, uirtutemque & operationem sancta caro habuerit. Sua enim propria erat, & non alterius cuiuspiam sibi assistētis, & proprietate personæ separati, sicut impio Nestorio uidetur. Igitur tanta quidem domini benignitas, ut proprio figmento misericors esset. Satanas uero qui prius mulierem alligauerat, morbi solutionem dolens, & eam amplius affligere cupiens, alligat principem synagogæ inuidia, & per os eius miraculum calumniatur: more enim suo ubique bonis imponit. Indignatur ergo quod in sabbato sanatur, quē dominus pulcherrimis exemplis brutorum animalium arguit. Vnde non ipse tantum talibus sermonibus, sed & omnes alij qui aduersabantur Iesu, confundebantur. Magnæ enim stultitiæ erat prohibere hominem sanari in sabbato, propter ocium quod aliqua ex parte in sabbato lex præceperat. Igitur qui aduersabantur Iesu, confundebantur. Turbæ autē gaudebant in operibus, sicut illi operibus non gaudebant, sed insaniebant Christo faciente miracula. At turbæ ex miraculis utilitatem percipientes gaudebant, maxime quod sanationibus fruerentur. Intelligas autem (oro) miraculum istud & de interno homine. Incuruatur anima, quando ad terrenas tantum curas uergit, & nihil cœleste uel diuinum secum concipit. Idcirco decem & octo annis ægrotare dicitur. Quando enim quis in obseruatione mandatorum diuinæ legis, quæ sunt decem, & in spe octauī seculi infirmus fuerit, decem & octo annis dicitur obstippus esse. Nonne qui terrenis addictus & peccat semper, mandata reprobat, & futurum seculum non expectat? sed dominus in sabbato & synagoga sanat talem animam. Quando enim quis in seipso colligit confessionis cogitationes (Iudas enim confessio dicitur) & sabbatum tenet, hoc est feriatur malis, tunc eum sanat Iesus, non sermone tantum dicens ei, Liberatus esto ab infirmitate tua: sed & manus imponens. Opus enim est nobis, ut ad operandū opera uirtutis suscipiamus & diuinum manuum cooperationem, & non per solum uerbum & instructiones erudire con-

tentos putare nos sanitatem consequutos.

Dicebat ergo: Cui simile est regnum dei? & cui simile faciam illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit: & euasit in arborem magnam, & uolucres cœli nidulabantur in ramis eius. Et iterum dixit: Cui simile faciam regnum dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ fata tria, donec fermentatur totum. Et ibat per ciuitates, & castella docens, & iter faciens Hierosolymam.] Grano sinapis comparat regnum dei. Regnum autem dei prædicatio est, & uerbum dei. Per prædicationem enim regnauit in animabus hominum. Enim uero sicut sinapi uidetur quidem paruum esse, multam autem habet uirtutem: ita & sermo Euangelij contemnitur quidem à multis, & apparet esse stultitia: quum uero illum homo suscepit, & miserit in hortum suæ animæ, arborem magnam facit, ita ut & ramos dilaret, ac uolatilia cœli, hoc est, homines qui in sublime uolare nituntur, nidus habeant in ramis. Qui enim supgressi sunt terrestria, in ramis prædicationis, hoc est in dilatatis sententijs quiescunt, ut exempli gratia quid dicam? Granum sumpsit Paulus, paruam Ananiæ instructionem, sed ut plantatum hoc granum in horto eius pingui, ramos fecit, multas inquam, & bonas doctrinas ac epistolas in quibus nidulabant hi soli, qui tunc sublimes mēte & sapientia, uti Corinthij, Dionysius, Ierotheus, & alij plurimi. Possunt etiam singulis temporibus quidam per granum sinapis intelligi, & dominus ipse: uilis enim uidebatur. Nam fabri filius, & pauperrimus. At ubi cecidit in cor terræ, quum mortuus esset & sepultus in horto, ramos pulchros apostolos fecit, in quibus quiescunt omnes qui prius agitabantur & uexabantur à spiritu erroris, nempe gentiles, qui comparantur uolatilibus, propter mentem facile mobilem, & illusioni obnoxiam, magnæque leuitatis. Tales enim sunt omnes qui errant, uolatilibus cœli, hoc est aëris assimilati. Iterum assimilatur fermento diuinus sermo, quod sumptum mulier, hoc est humana natura, occultauit in farinæ fata tria, hoc est in corpus, spiritum & animam, ita ut illa sanctificentur, sicut dicit beatus Paulus, fiat que una contemperatio communione cum spiritu sancto. Intellege autem per mulierem, & animam: fata uero tria, tres partes eius, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem. Si igitur quis in tribus illis partibus occultarit sermonem dei, faciet illam totam spiritualem, & ita ut rationalis non labatur in doctrinis, neque irascibilis & concupiscibilis absque ratione ferantur, sed fermententur, & assimilentur sermoni dei. Perambulabat uero Iesus per pagos & ciuitates docens. Neque ita in parua uenit oppida & pagos, ut magnas ciuitates negligeret: id quod faciunt, qui uolunt simplices decipere: neque ita uenit in ciuitates, ut ostentator & gloriosus, paruus negligens, sed ut communis dominus, immo ut pater qui omnium curam agit, ubique circuit. Nunquid autem ita transit per externas ciuitates in quibus non tot erant legisperiti, à Hierusalem autem fugit, utpote formidans reprehendi à legisperitis, uel suspicans, ne ab eis occidatur? Non est hoc dicendum, sed & iter (inquit) faciens in Hierosolymam. Vbi enim plures ægrotant, eo magis festinat medicus.

Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? Ille uero dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico uobis) querent intrare & non poterunt. Quum autem expperectus fuerit paterfamilias, & clauferit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine domine, aperi nobis. & respondens dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Tunc incipietis dicere: Edimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet: Dico uobis, nescio uos unde sitis. Discedite à me omnes, qui patratistis iniquitatem: ibi erit fletus & stridor dentium, quum uideritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, uos autem expelli foras. Et uenient ab oriente, & occidente, & aquilone, & austro, & accumbent in regno dei. Et ecce sunt postremi, qui erunt primi: & sunt primi, qui erunt postremi.] Patet ci sunt qui saluantur, eo quod angusta uia multos non recipiat. Est autem dominus paterfamilias, qui conuocat omnes homines ad prandium & fruitionem æternorum bonorum. Omnes itaque uirtute præditi, usque ad Christum studuerunt intrare: omnes autem degeneres & ignaui, qui post tempus prandij uenerunt, excludunt. Hora autem prandij, præsentia

huius, præsens uita est. Hoc enim tempus utique est praeadii, quod praeparatur, ut spirituali conuiuio excipiamur. Quam autem expergefactus fuerit paterfamilias, hoc est, ad iudiciu surrexerit ac clauferit ianuam, uirtutis dico uiam, quam ingredi non possumus postquam hinc emigrauerimus: quandiu enim in uita sumus, iri potest uia uirtutis. Incipiunt quidem tunc hi, qui negligentius in hac uita uixerint pulsare ianuam, & per inutilem poenitentiam, uirtutis uiam requirunt nudis uerbis, quasi pulsationibus & strepitibus quibusdam reuocantes illam, operibus tamen carentes. Pater uero familias quum eos iuste excluderet, dissimulat scire unde sint, & merito: sunt enim ex diabolo. Dominus autem cognoscit suos. Hoc autem quod dicit, Comedimus & bibimus coram te, & in plateis nostris docuisti: & simpliciter quidem ad Israelitas dicitur. Etenim dominus ex ipsis natus est secundum carnem, & cum eis comedit ac bibit. & potest etiam sublimius intelligi: Coram te comedimus & bibimus. Legalem enim perficientes cultum, & offerentes deo cruenta sacrificia, comederunt & laetati sunt, audierunt autem diuinos libros in synagogis. Omnino enim & per prophetas dominus docuit. Neque enim prophetae sua ipsorum dicta proferebant, sed diuina praedicabant, quapropter & dicebant, Haec dicit dominus. Non igitur sufficebat iudaeis ad iustificationem cultus ille per sanguinis effusionem non accedente fide, quae iustificat impium. Et meis quoque Christianis quidem, uita autem dissoluta haec congruunt. Annon & nos manducamus corpus diuinum, & bibimus sanguinem dei coram eo, quotidie ad mysticam mensam accedentes, & docet in plateis nostris dominus? atqui nulla inde utilitas, si auditores diuinam quidem legis sciamus, & non factores: immo contra ad maiorum tormentorum occasionem audiuisse cederet, sicut & diuinarum sanctificationum sumptio ad iudicium. Obserua, quod reiecti sunt illi, quos in plateis docet dominus: uerum si ipsum habuerimus docentem, non in plateis, sed in angustis & tritis, & compunctis cordibus, non erimus reiecti. Iam hoc quod inquit, Illic erit ploratus, quando uidebitis Abraham, & Isaac, & Iacob: congruit quidem & Israelitis, quibus dicitur, & his qui hodie sunt incredulis. Iudaei sane tanto magis torquebuntur audiendo, alios ex gentibus requiescere, & quietem habituros cum Abraham & patribus, se autem expellendos. Pertinet item & ad nos, qui non & bene operamur cum fide, & nos quidem in lege Christi gloriamur, quam mox postea transgredimur & reprohamus. Primi quidem esse uidemur, utpote a cunabulis instructi, & nomen Christi ferentes. Postremi autem erimus, praelatis gentilibus quibusdam, qui in fine uitae suae credunt, & deo placentes paruum uitae tempus agunt.

Eodem die accesserunt quidam phariseorum, dicentes illi: Exi, & uade hinc: quia Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite & dicite uulpi huic: Ecce eicio daemonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Verumtamen oportet me hodie, & cras, & proximo die proficisci: quia fieri non potest, ut propheta pereat extra Hierusalem. Inuidia tabescebant maledicti Iudaei, & dominum terere nituntur, & minantem ei faciunt Herodem. Nolebant enim eum uidere facientem miracula, ne multitudine miraculorum turbas sibi conciliaret, & uirtute uerbi ad se alliceret. Prætexunt igitur Herodem, & lingunt sibi saluatoris curam esse. Ipse autem corda illorum sciens, mansuete & ad umbram pro more suo eis responderet, Dicite uulpi huic. Et uidetur quidem Herodem appellare uulpem, sed phariseos notat, si quis diligenter consideret. Non enim dixit, uulpi illi: sed, huic, media quadam uoce usus, idcirco scite. Singulari numero dicendo uulpem, Herodem illos suspicere fecit: dicendo autem, huic, quod est pronomen demonstratiuum, insinuauit istos ipsos esse dolosos illos. Et profecto pharisei praese ferebant malignos uersipellesque uulpium mores. Vide autem (oro) quomodo malitiae eorum respondet. Quia enim illi propter sanitates inuidebant, incutiebant ei metum ex Herode, idcirco ipse id quod credebatur eos potissimum dolere, dicit: Ecce enim ego (inquit) sanitates perficio, & daemonia eicio. Nam sicut praedictum est, propterea insectabantur eum, ut ne miraculis ostensis multos ad credendum sibi alliceret. Hodie uero & cras, plures dies significat. Quemadmodum & nos familiari sermone consueuimus dicere, Hodie & cras fiet hoc: non omnino intra tam breue temporis interuallum rem circumscribentes, sed ita

tim fieri significantes: ita etiam Christus dicens, Sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor: non omnino significare uoluit quod tertio die necessariò sit consummandus, sed breui mortem suam futuram declarat. Veruntamen oportet me hodie & cras manere hoc loco & operari miracula, & sequenti in Hierusalem proficisci: illic enim elegi mortem. Quia & illi dicebant ei: Egredere, quia Herodes te occisurus est. In Galilæa autem hæc dicebat, cui præerat Herodes: monstrabatque eis, etiam si plurimū uellet, non posse ab illo se interimī. Non enim in Galilæa, sed Hierusalē præfinitum esse Christum passurū. Et ut tibi dictum Euangelij manifestius exponam, quum legeris hodie & cras, punctum facito, & tunc dic, proximo die proficisci: quo modo numerantes sæpe dicere consueuimus, Ego dominico secūdo, & tertio die egredior: nō quod egresurus sim dominico & secundo, sed solū duos illos dies enumeramus, ut manifestemus diem tertium: ita sanē & dominus hoc loco prius numerans inquit, Oportet me hodie & cras, deinde tertio proficisci in Hierusalē: illic enim finis meus. Sicut autē supra diximus, non quod tribus diebus uitam suam circumscribat, sed pluribus quidem diebus: ueruntamen non ualde longo tempore se mansurum significat, quasi hæc dicat ad eos qui sibi inuidebant: Quid meam meditamini mortē? ecce paulò post ipsa instabit. Quū uero audis, quod fieri non possit, extra Hierusalem perire prophetā, ut ne putes Iudæos uī quādam ac necessitate ad hoc faciendum compelli: sed scias sponte sua homicidium istud patrare, ut si quis uidens crudelissimum, maximeque sanguinarium latronem uias obsidere, diceret: Fieri non potest, uiam hanc in qua latro prætereuntibus insidiatur, à sanguine puram esse. Omnino enim hoc loco, quod consecraneum est ad opera latronum, dicit. Sic igitur & in Hierosolyma, quam occuparunt latrones & scribæ, fieri non potest, in alio loco quā in illo in quo sunt latrones, perire prophetarum dominum. Assueti enim effundere seruorum sanguinem, etiam dominum ipsum occident.

Hierusalem Hierusalem, quæ occidit prophetas, & lapidat eos qui mittuntur ad se: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennas, & noluitis: Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Dico autem uobis, quod nō uidebitis me, donec uenerit tempus quum dicetis, Benedictus qui uenit in nomine domini. Duplicatione nominis ostendit amorem quem erga illos habet dominus. Quē admodum enim amator quis ab amica cōtemptus, ita reuocat adulteram synagogam. ostendit item suam misericordiam, quod sæpenumero uoluerit congregare illos. Et illorum significat arrogantiam, dicendo quia noluitis relinquo uos postea. Instant enim odio habui maliciam uestram, ut neque templum domum meam esse dicam, sed domum uestram. Nā quandiu uestram uitā bene gerebatis, & templum meum erat: quia autem & illud contaminastis, & negotiationis domū & speluncam latronum fecistis, uarijsque negotiationibus & auaris uestris studijs uicissim seruitis (Negociatio enim latrocinium est, supplantans fratres, & rapiens quæ illorum: id quod & latrones faciunt. Inuadunt enim uitatores, ut illorum bona rapiant) & quoniam speluncam latronum templum fecistis, per negotiationum species quas in ipso orationis loco faciebatis, non ultra mea erit domus, sed uestra. Non solum autem templum intelligas domum, sed & omnem generationem Iudæorum. Solet enim scriptura & genus domum appellare, ut domus Leui benedicet dominum. Et hoc loco potest intelligi: Domus uestra relinquitur, hoc est genus uestrum relinquitur à me. sicut & per prophetam alibi dicit: Dereliqui domum meam, hereditatem meam. Domum enim illic dicit Israëlitas. Ostendit autem quod & ante hoc ipse eos conseruari, & ab inimicis liberari. Denique dicens: Non me uidebitis, donec dicatis, Benedictus qui uenit: secundum significat aduentum. Inuoluntarij enim confitebuntur & saluatorem, & dominum, quando quidem ipsis nulla inde utilitas eueniet. Quid igitur? Non uiderunt illum à quo tempore hæc dixit: utique. Dicens enim, Non me uidebitis ex illo tempore: non horam quæ tunc erat significat, sed tempus quod post crucem. Sicut si dixisset: A tempore quo me crucifixeritis, nō ultra me uidebitis, donec redeam.